





SVPER  
Q. HORATII FLACCI  
THEOLOGIA

PAVCA  
PRAEFATVS

---

AD  
ACTVM ORATORIVM  
QVO  
AUDITORIUM GYMNASII  
NOVITER CONCINNATVM  
INAUGVRABITVR  
OBSEQVIOSE  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN, R.

---

FREIBERGAE,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXX.



**H**omines etiam profanae superstitioni addictos aliquam de deo et rebus diuinis cognitionem habuisse, negari non potest. Et haec notitia ideo adpellatur naturalis, quia ex foliis naturae et rationis principijs constat, de qua Ger. Io. VOSSIVS, a) Tob. PFANNERVS, b) Petr. Dan. HVETIVS c) et multi alij fufe exposuerunt.

Licet enim ea valde corrupta, manca atque imperfecta sit; expressa tamen veritatis vestigia signat, et arma probatissima suppeditat, quibus felicissime utimur, ad furores atheorum vel prosterndos vel retundendos. Hac mente Theologiam Aegyptiorum IAMBLICHVS d) et Herm. WITSIVS, e) Chaldaeorum Thom. STANLEIVS, f) Pythagoraeorum Mich. MVRGVES, g) Platonico- rum MARS. FICINVS, h) Aristotelis Henr. CAPREDONVS, i) Stoicorum et nominatim Senecae Io. Andr. SCHMIDIVS, k) Epicleti Mich. ROSSAL, l) Democriti et Epicuri Io. Conr. SCHWARZIVS, m) singularibus in libris singulari studio proposuerunt. Et quis CICERONIS libros de natura deorum igno- rat, in quibus non solum veterum philosophorum de deo sententiam accurate persequitur, sed etiam lepida mythologorum figmenta tanta audacia expofit, ut multi, ARNOBIO teste, n) persuadere senatui Romano studerent, ut hos libros supprimeret, ne christiani ad defendendam suam fidem aut ad denudandam su- perstitionem iis testibus niterentur. Et eundem quidem conscientia de existen- tia dei conuictum fuisse, neque tamen ex scrupulis, animo perturbato et fluctu- ante exortis, se exsoluere potuisse, ingenue BAYLIVS confitetur. o) LVTHERI autem testimonium in dubio ponimus; p) *Cicero hat viel gutes gethan und ge- reder. Ich hoffe, unser Herr Gott werde ihm und seines gleichen gnaedig seyn.*

His vero Q. HORATIVM FLACCVM quo minus adiungamus, nulla religione prohiberi videmur, qui inter poetas Latinos iam pridem principem obti- nuit locum, et cuius diligens lectio fructu non uno se commendat. Vti enim poetae apud veteres pro theologia et deorum interpretibus habebantur: ita eos- dem supra communem hominum sortem euectos familiarissimum cum diis com- mercium habere, stantebant. Ipse certe CICERO q) diuino spiritu illos ad- flari adfirmat; OVIDIVS autem suam et sociorum suorum dignitatem his verbis extollit; r)

*Eft*

- 
- |                                                                      |                                                                    |                                    |
|----------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------|------------------------------------|
| a) de idololatria gentili.                                           | b) System. theologiae gentil.                                      | c) Demon-                          |
| stratio Evangel.                                                     | d) de Mysterijs, Oxon. 1678.                                       | stratio in Aegyptiacis.            |
| <i>Amstel.</i> 1696.                                                 | f) in <i>Histor. philos.</i> Lips. 1690.                           | g) <i>Plan Theologique</i>         |
| du Pythagorisme. <i>Amst.</i> 1714.                                  | h) <i>Compend. Theologiae Platon.</i> in <i>Opp.</i>               | in <i>Opp.</i>                     |
| T. I.                                                                | i) in <i>Theologia Aristotelis Vener.</i> 1609.                    | k) in <i>Diss. de</i>              |
| Theologia Senecae. <i>Ien.</i> 1686.                                 | l) <i>De Epiclreto Stoico, non Christiano.</i> <i>Groen.</i> 1708. | m) <i>advers. gent.</i>            |
| m) <i>Diss. de Theologia Democriti et Epicuri.</i> <i>Ien.</i> 1720. | n) <i>advers. gent.</i>                                            | p) <i>Tischreden</i>               |
| L. III. p. 103.                                                      | o) <i>Diction. T. III. f. 617. art. Spinoze.</i>                   | q) <i>Orat. pro Arch.</i> c. VIII. |
| P. 714.                                                              | r) <i>Fast.</i> VI. 5.                                             |                                    |

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.*

*Impetus hic sacrae semina mentis habet.*

Licet enim Horatius a multis crimine futilitatis, leuitatis, lasciuiae atque impunitatis accusetur, imo licet alii calumnientur eundem, quod eo consilio carmina sua composuerit, *pour accrediter l'atheisme*, r) ad stabiliendum atheismum: longe tamen plura in eius libris bonae frugis obuersantur, quae merito laudantur et probantur. Itaque iustam omnino causam habuit, qui paucos ante annos *Horatium Vindicatum* luci publicae exposuit, s) cuius auctor illustris id agit, ut famam poetae aduersus calumnias maleuolorum tueatur, atque inprimis atheismi maculam ab eo abstergat. Vbi vero iam in eo sumus, ut ostendamus, hoc vitium a poeta vitatum esse, animum ad cauendum attendamus, ne in contrarium curramus, plus religionis Horatio adfingentes, quam reuera habuit. Quis enim ausit, cum DACIERIO adfirmare, t) eum non solum libros Mosis legisse, sed etiam methodum doctrinae ex Salomonis Prouerbiis mutuatum esse ad Satyras concinnandas? Et quis à risu sibi temperet, legens, BOILAVIVM ex verbis huius vatis: u)

*animum rege, qui nisi pareat,*

*imperat: hunc frenis, hunc tu compeste catena,*

Horatium christianum effinxisse, et quidem Iansenistam. w) Hos autem incredibili audacia Io. HARDVINVS, vir portentosi ingenii, longe superat, omnes neruos luxuriantis ingenii iatendens, ut primariae religionis verae capita, et sanctissima christiana fidei mysteria, veluti fidiculis admotis, ex Horatii carminibus extorqueat. x) Namque verba: y) *non patimur per nostrum scelus iracunda Iouem ponere fulmina*: totam christianam doctrinam redolere, adfirmat. Idem Odam, quae incipit: z) *Integer vitae etc.* commendationem christianae pietatis complecti, pronuntiat. Porro in Libri II, Oda XX, profopoeiam sibi inuenisse videtur Christi triumphantis et Iudaeos post resurrectionem compellantis. Et hunc quidem eodem in carmine *biformem* dici statuit, quia unus et idem in forma dei et serui erat, simul autem adduci *in album alitem mutandum*, quia alba veste indui debebat. Quid? quod nugator iste *Cereris arcanae sacrum* a) pro sacrificio et epulo Christianorum habeat, quod pane constat in corpus Christi mutato. At enimvero haec somnia,

ne

r) Memoir. de Trevoux l' an 1734. T. I. art. III. p. 93. s) *Horace vengé*, qui exstat in Tom. I, des Babelles litteraires et critiques. Hamb. 1760. t) dans Remarques sur les Satyres d' Horace. u) L. I. Ep. II, 62. w) Oeuv. de Boileau. T. I. p. 152. x) in Operibus Variis, Amstel. 1733. y) L. I. Od. III. 40. z) L. I. Od. 22. a) Lib. III. Od. II. 27.

ne dicam, deliria non solum celeberrimi viri, Io. Mattt. GESNERVS b) et Chr. Ad. KLOZIVS c) solide refutarunt, sed ipsi etiam societatis suae tribules publice testatum fecerunt, se ab inauditis istis opinionibus prorsus abhorrere, d)

Vt igitur huic pöetae, quem diuus AVGVSTINVS inprimis ideo commendauit, quod tam virtutes quam vitia viuus coloribus depinxit, debitus honor in causa religionis vindicetur, Theologiam Horatii, sensu strictissimo sumtam, quae nempe naturam et perfectiones numinis diuini complectitur, ex eius pöematis colligamus. Quid igitur Horatius suo de deo sentit?

### I. DEVS EST SVMMVS ET MAXIMVS.

Numquid enim grauius et dignius numine diuino dici poterat, quam hoc axioma;

*nil maius generatur ipso  
nec viget quicquam simile aut secundum. e)*

Eandem sui dei magnitudinem his verbis praedicat; f)

*reges in ipsos imperium est Iouis,  
cuncta supercilio mouentis.*

neque alia mente *Patrem diuüm, g)* itemque *Patrem et Regem h)* colit eundem, *qui in caelo terras et humanum genus regit. i)*

### II. DEVS EST POTENTISSIMVS.

Ita scilicet pöeta illum describit,

*qui res hominum ac deorum  
qui mare ac terras variisque mundum temperat horis; k) qui caelo  
ronans regnat, l) vel, si prolixior descriptio desideretur,  
qui terram inertem, qui mare temperat  
ventosum, et vrbes regnaque tristia,  
diuosque, mortalesque turmas  
imperio regit vnus aequo. m)*

imo verbis propemodum biblicis immensam dei potentiam alio loco decantat; n)

- valet

b) De vanis Harduini in Horatium conatibus. Goetting. 1750.

Q. Horat. Flacci. Brem. 1764.

c) in *Vindiciis a P. occasion des Oeuvres meles du Pere Hardouin*, quae leguntur in *Bibliothèque Francoise T. XIX P. II. p. 229.* vid. *Bibliothèque raisonnée T. I. art. VI. p. 71.* *Bibliothèque choisie, Tom. XVI. p. 412.* *Journal litteraire de P. an 1726. Tom. XXIII. p. 409. sqq. etc.*

g) L. IV. Od. VI. 22.

k) L. I. Od. XII. 14.

n) L. I. Od. XXXIV. 12.

e) L. I. Od. XII. 17.

h) L. II. Sat. I. 42.

l) L. III. Od. V. 1.

f) L. III. Od. I. 6.

i) Epod. V. 1.

m) L. III. Od. IV. 45.

valet ima summis  
mutare, et insignem attenuat deus,  
obscura promens.

### III. DEVS EST SAPIENTISSIMVS,

qui nempe prudens oceano dissociabili terras abscedit, o) et qui prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit, p) cuius caelestis sapientia ducere nos debet, q) et cuius scientiam nihil eorum fugit, quae vel dicuntur vel geruntur. Quo sensu poeta: r)

Haec Iouem sentire deosque cunctos,  
Spem bonam certamque domum reporto.

### IV. DEVS EST IMMORTALIS.

Hoc enim nomine disertis verbis poeta illum commendat, s) neque alia mente ceteros diuos gelida morte carentes adpellat. t)

### V. DEVS EST SVMME BEATVS,

scilicet quietos inter ordines versans, qui lucidas sedes incolunt, et succos nectaris ducunt. u) Hae sunt optatae illa epulae, quibus diui perpetuo fruuntur. w)

### VI. DEVS EST CLEMENTISSIMVS.

Nam non solum benigno numine nos defendit, x) et ridet, si mortalis ultrasas trepidat, y) sed etiam suam in sedem omnia vice benigna reducit, z) ut eius muneribus uti queamus. a) Neque est, quod quisquam Iouem malum ab hoc poeta commemoratum obiiciat, siquidem eo loco b) Iouis nomen pro aere per metonymiam ponitur, et Iupiter malus nihil aliud quam inclementiam aëris significat, eodem sensu, quo alibi c) Iupiter frigidus legitur.

### VII. DEVS EST TIMENDVS,

qui uti vim temperatam in maius prouehit, ita idem vires addit omne nefas animo mouentes. d) Quam ob causam merito homines metu illius manus continent, et aris parcut. e)

### VIII. DEVS EST COLENDVS.

Quod poeta eo inprimis in carmine testatus est, quo docet, se, adhuc Epicu-  
raeos

o) L. I. Od. III. 21.

r) Carm. Saecul. 73.

u) L. III. Od. III. 33.

y) L. I. Od. XXIX. 31.

b) L. I. Od. XXII. 19.

e) L. I. Od. XXXV. 36.

p) L. III. Od. XXIX. 30.

s) Art. poet. 464.

w) L. IV. Od. VIII. 30.

z) Epod. XIII. 10.

c) L. I. Od. I. 19.

q) L. I. Ep. III. 28.

t) L. III. Od. VIII. 11.

x) L. IV. Od. IV. 74.

a) L. IV. Od. IX. 48.

d) L. III. Od. IV. 66.

raeos secutum, *parcum et infrequentem deorum cultorem errasse*, f) bono vero omine, fulmine caelo sereno erumpente ad aliam viam ingrediendam permotum fuisse. Quamvis enim multi in ea sint sententia, quod Horatius hoc in poemate, ficta retractatione, deorum providentiam et cultum iis debitum neget: Strophæ tamen secunda non minus quam extrema dubitare nos non sinunt, poemam serio egisse, quod Cl. LESSINGIVS pluribus persequitur. g)

#### IX. DEVS MALOS PVNIT.

*Scimus, ita poeta canit, h) ut impios Titanas immanemque turmam fulmine sustulerit caduco: qui rubente dextra sacras iaculatus arces terruit urbem et gentes, i) et qui parum castis inimica misit fulmina lucis. k) Inprimis vero poenas diuinas ciuibus suis hac sententia in memoriam reuocat: l) Di multa neglecti dederunt Hesperiae mala luctuosae.*

#### X. DEI CVRAE OMNIA SVNT COMMITTENDA.

Quam sententiam vates Venusianus hac eleganti similitudine illustrat: m)

*Permitte diuis cetera; qui simul*

*Strauere ventos aequore seruido*

*depraeliantes, nec cupressi*

*nec veteres agitantur orni.*

*Quid sit futurum cras, fuge quaerere, etc.*

#### XI. DEVS PRECIBVS EST FLECTENDVS.

Audiamus, quibus verbis Romanae fidicen lyrae hanc sententiam probet. Ita vero ille; n)

*Caelo supinas si tuleris manus,*

*Nec pestilentem sentiet Africum*

*Fecunda vitis, nec sterilem seges*

*Rubiginem aut dulces alumnæ*

*Pomifero graue tempus anno.*

Et paucis interiectis: o)

*Immunis*

f) L. I. Od. XXXIV. 1. sqq.

i) L. I. Od. II. 3.

m) L. I. Od. IX. 9. sqq.

conf. L. I. Od. XXXVI. 1. 2.

g) Opuscul. P. 3.

k) L. I. Od. XII. 59.

n) L. III. Od. XXIII. 1. 5.

h) L. III. Od. IV. 42.

l) L. I. Od. VI. 7.

o) ibid. 17.



*Immunis aram si tetigit manus,  
Non sumtuosa blandior hostia,  
Mollibit auersos penates  
Farre pio et saliente mica.*

Et hic deus prece motus, bella, famem et pestem à populis agit. p)

## XII. DEVS TRISTIA IN LAETA MUTAT.

Quam sententiam non tantum hac similitudine poeta illustrat: q) *disfluit saxis  
agitatus humor, simul ac numinis stella refulsit, concidunt venti, fugiuntque  
nubes, et minax, (quod di voluere,) ponto unda recumbit: verum etiam  
exemplis probat: r) nec ter acuo functus amabilem ploravit omnes Antilochum  
senex annos, nec impubem parentes Troilon aut Phrygiae sorores flere semper.  
Ille nempe deus est praefens vel imo tollere de gradu mortale corpus, vel super-  
bos vertere funeribus triumphos. s)*

## XIII. DEVS CERTISSIMVS EST AVXILIATOR.

Nam *dextra sua ictum leuat nobis intentatum, t) et eiusdem tutela periculis  
nos eripit, volucrisque fati alas tardat. u)*

## XIV. DEVS FIDISSIMVS HOMINVM EST CVSTOS.

Ideo enim ab Horatio salutat *gentis humanae pater atque custos, w) cui cura  
hominum fatis regendis data est. x)*

## XV. CVM DEO OMNIA SVNT AVSPICANDA ET FINIENDA,

vel, quae Horatii sunt verba: y) *unde homines operum primos vitaeque labores  
instituant, et quod praeceptum alio loco repetit: z)*

*Omne hinc principium, huc refer exitum.*

Et hanc ipsam poetae sententiam ad illud negotium haud immerito applicamus,  
quod ad hanc descriptionem nos excitavit. Quam enim ex decreto eorum,  
qui rei scholasticae praesunt, supellex libraria, quam gymnasium huius civi-  
tatis servat, ex media aedificii scholastici parte in inferiorem deferretur, con-  
clauae vacuefactum ad usum secundi discipulorum ordinis fuit destinatum. Vti  
igitur omnes boni hoc institutum religiosi votis prosequuntur: ita etiam ali-  
quot

p) L. I. Od. XXI. 13.

IX. 14.

u) ibid. v. 23.

y) L. II. Sat. VI. 21.

q) L. I. Od. XII. 27.

s) L. I. Od. XXXV. 2.

w) L. I. Od. XII. 50.

z) L. III. Od. VI. 6.

r) L. II. Od.

t) L. II. Od. XVII. 29.

x) ibid. 52.

quot eorum iuuenum, qui ad eandem classem pertinent, suum esse statuerunt,  
pietatis atque obseruantiae partes publice declarare. Et primo quidem  
loco

*Adolph Fridrich Maacke,*

Frauenstein, Misn.

carminē Germanico dignitatem scholarum decantabit. Quem excipiet

*Fridrich August Tzschocckel,*

Freiberg.

sermone Francogallico causas scholarum ruerentium indicaturus. Seque-  
tur

*Andr. Henricus Klotzsch,*

Freiberg.

qui verbis linguae Theotiscæ ad numeros adstrictis docebit, hiemem inprimis  
idoneam esse ad discendum. Porro

*Gotthilf Benjamin Schmidt,*

Freiberg.

filio Latino de auditoriis veterum exponet. Succedet dicendo

*Chr. Gottfried Bernhardi,*

Wilsdruf, Misn.

iniustas de scholis corruptis querelas idiomate Italico refutans. Quo digresso

*Fridr. Gotthold Kluge,*

Augustsburg, Misn.

historiam renouati ante LXXX. annos auditorii superioris Latina veste texet:  
Deinde

*Christoph. Gottlob Eckard,*

Pappendorf.

*Gottfr. Car. Hunger,*

Freiberg. et

*Gottlob Christian Lebrecht Kretschmar,*

Conradisdorf.

Germanice Herculem in biuio colloquendo ita repræsentabunt, ut primus  
viam voluptatis commendat, tertius viam virtutis suadeat, et medius tandem  
hanc sequatur. Ad extremum

*Christian Fridr. Hennig,* Freiberg.

epiphonematis loco laborem et studium versibus vernaculi sermonis commendabit.

Ad hos igitur oratores beneuole audiendos ut cras, finitis sacris ante  
meridiem faciendis, haud grauati conueniant, qui a studiis litterarum non  
abhorrent, etiam atque etiam rogantur. Freiberg, d. XX. Nov. A. R. S.

MDCCLXVI,

Yb 627

22

ULB Halle  
001 508 164



3

(811148)

TA-204

VD 18







120

SVPER  
Q. HORATII FLACCI  
THEOLOGIA  
PAVCA  
PRAEFATVS

---

AD  
ACTVM ORATORIVM  
QVO  
AUDITORIUM GYMNASII  
NOVITER CONCINNATVM  
INAUGVRABITVR  
OBSEQUIOSE  
INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN, R.

---

FREIBERGAE,  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXX.